



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



21

D. O. M. A.
Disputationum Academicarum,
De

Prædicationum

Personaliū Paronymia,

Tertiam & Ultimam,

in Illustri ad Albim Academia

PRÆSIDE

M. JOHANNES HENRICO

Priestern / Electorali Alumno ,

publicè defendes

JOHANNES BUREN / Jütreboc. Saxo,

in Audit. Min. horis antemerid.

Die 24. Jan. A. O. R. M. DC. LXXIII.

WITTEBERGÆ ,

Ex Officina Typographica JOHANNIS HAKEN.



PRÄDICANTEN

Handwritten text, likely a title or author name, appearing as a faint watermark or bleed-through.

AL. JOHANNES HERRICO

Handwritten text, likely a title or author name, appearing as a faint watermark or bleed-through.

Handwritten text, likely a title or author name, appearing as a faint watermark or bleed-through.

Handwritten text, likely a title or author name, appearing as a faint watermark or bleed-through.

Handwritten text, likely a title or author name, appearing as a faint watermark or bleed-through.



Sectionis πολεμικῆς

Membrum posterius ἀνασκευαστικόν.

§. 1. **V**idimus hæctenus, quibus rationibus nitatur sententia illa plurimorū Theologorum pariter & Philosophorū, quæ prædicationes personales Logicas & paronymicas esse statuunt, nunc nihil amplius circa hanc doctrinam restare videtur, quàm ut *Adversariorum argumenta*, quibus hanc firmissimam nostram de Prædicationum Personalium paronymia sententiam infringere conantur, afferamus & quid ponderis eis subsit, videamus. Probant autem contrariæ sententiæ Patroni sententiam suam nostræ oppositam 1. à *communi appellatione*, quæ dicantur Inusitata, ita argumentantes: *Si prædicationes Personales ratione modi prædicandi sunt inusitatae, nec consentiunt cum regulis Logicis ex communi cursu & quotidiano usu extractis, non rectè poterunt annumerari propriis & usitatis. Sed verum est prius. E. & posterius.* Majoris connexionem patere dicunt, quia aliàs inusitatum foret usitatum, irregulare regulare, extraordinarium ordinarium, supernaturale & mysticum naturale & physicum, hoc est ipsum non ipsum, quæ turpissima sit ἐν θεωρητικῶν ἀντίθεσιν. *Antecedens* verò probant, quòd in omnibus puriorum scholarum libellis Dialecticis & omnibus cõpendiis Theologicis legatur, tria dari prædicationum genera: 1. *proprias*. 2. *figuratas*. 3. *inusitatas*, quòd referantur Personales & Sacramentales. Inusitatae autem, inquirunt, dicuntur, non tantùm *ratione rei mysticae*, siquidem hoc sensu omnes prædicationes de articulis & mysteriis fidei formatae, forent inusitatae, quòd Nostri tamen nunquam affirmarunt, sed potissimum *ratione modi prædicandi*. Hinc communiter ita describuntur, quòd ad nullum usitatum vel regularem modum enunciationis Logicæ quadrent, eamque ob causam inusitatae appellentur. Per illas enim exprimitur tale mysterium, quod ὁμολογημένως μέγα, quod absconditum, quod rationi humanæ stultum videtur, quod singulariter mirabile & mirabiliter singulare est, ideoque omnem mentem & comprehensionem humanam altissimè transcendit.

§. 2. Resp. prædicatio propria & usitata ambiguè dicitur. Vel enim prædicatio propria & usitata inadæquatè pro ea tantùm

sumitur, in qua genus, differentia, aut proprium dicitur de specie, vel species de individuo: Vel prædicatio propria & usitata adæquatè ea omnis dicitur, in qua identitas prædicati & subjecti datur sive cum sive sine ratione generis, speciei, differentia, proprii vel accidentis. Si prædicatio propria & usitata *priori sensu* capiatur, concedimus totum argumentum, quia ita non statui controversiæ nostræ contradicunt adversarii, sed ignorationem Elenchi committunt. Non enim, ut ex superius dictis abundè constat, quando prædicationes Personales ratione modi prædicandi usitatas & proprias dicimus, hoc volumus, quòd ad aliquem ex quinque prædicabilibus modum congruant & quòd in specie, quia eas paronymicas diximus, prædicatum earundem vel proprium vel accidens sit. Nam & nos asserimus, quòd prædicationes personales non habeant talem modum prædicandi, qualis in prædicationibus vulgaribus & prædicamentalibus, sive ut illi loquuntur, ex communi cursu & quotidiano usu extractis, quia alias utique expiraret ineffabile illud Incarnationis Filii Dei mysterium, quod non minùs ac illi omnem mentem & comprehensionem humanam altissimè dicimus transcendere. Quod si verò prædicatio propria & usitata *posteriori sensu* capiatur, negamus consequens illud fluere ex antecedente. Etsi enim prædicationes personales, nobis ipsis fatentibus, non consentiant cum regulis Logicis ex communi cursu & quotidiano usu extractis, hoc est, ut alibi mentem suam clariùs exponunt, non congruant ad ullum modum ex quinque prædicabilibus, inde tamen minimè sequitur, esse eas ratione modi prædicandi inusitatas ita, ut nec congruant ad regulas Logicas de prædicatione ut sic. Non sanè sequitur, si in prædicationibus personalibus nec genus, differentia, proprium vel accidens de specie, nec species de individuo dicitur (has enim solas prædicationes illi vocant usitatas & proprias) sequitur eas planè non esse prædicationes usitatas & Logicas, uti nec hac collectio procedit: si in prædicationibus personalibus nec proprium nec accidens dicitur de specie, sequitur eas non esse prædicationes paronymicas. Sed verum est prius. E. & posterius. Quia quinque Categoriæ Porphyrii neutiquam exhauriunt omnem aptitudinem prædicandi, quæ terminis consentaneis competit, sed multæ dantur enunciati-
ones

ones usitatae & propriae, quae tamen resolvi nequeunt in aliquod
praedicabile. Uti enim multae dantur praedicationes synonymi-
ca, in quibus praedicatum nec genus, nec species nec differentia
est, quod tamen, uti vel Tyronibus Logicae notum est, ad synony-
ma praedicamentalia requiritur; ita contra plures occurrunt pra-
edicationes paronymicae, in quibus praedicatum nec proprium nec
accidens aliquod commune est, quia praedicationes paronymicae,
uti saepius haecenus dictum est, illae omnes dicuntur, in quibus pra-
dicatum est extra essentiam subjecti, sive jam sit proprium sive ac-
dens, sive sit extra essentiam subjecti a parte rei, sive saltem ex par-
te conceptus nostri, quippe quae omnia conditiones saltem mate-
riales sunt, locum habentia in paronymia tali vel tali, non vero
in paronymia ut sic; ad quam nihil aliud requiritur, quam *extraessentia-
lis habitudo praedicati & subjecti*. Unde non minus praedictio paro-
nymica est, cum dico: *Ens est bonum*, vel *Deus est misericors*, quam
si dicam: *homo est risibilis*, vel *homo est doctus*, etsi ibi praedicatum
nec sit proprium nec accidens. Sufficit enim quod & ibi praedica-
tum sit extra essentiam subjecti, saltem secundum modum nostrum
conciipiendi, cum *lo esse proprium vel accidens* non pertineat ad *for-
malem rationem* paronymorum, sed illis saltem accidat & tantum
paronymis praedicamentibus conveniat, e quorum conditione paro-
nymia extra-praedicamentalia nequaquam sunt aestimanda, ut re-
ctissime recentiores *philosophi* ostendunt, qui hinc arbitrantur,
non aliam esse causam, cur tam frivole & jejune, imo absurde &
impertinenter multi de transcendentibus sentiant & loquantur,
quam quod manifesto & insigni errore secundum conditiones pra-
dicamentales easdem examinent & ex abjectae Creaturae condi-
tione res mysticas aestiment, quae tamen infinitam praeter illa excellenti-
am habeant. Eodem modo cum *synonymis* se res habet, omnis e-
nim praedictio synonymica dicitur, in qua praedicatum essentiali-
ter respicit subjectum & vel tota essentia, vel de essentia subjecti
est, sive jam sit genus, sive species sive differentia, sive nihil horum,
quia praedicari ut genus, species vel differentia pertinet tantum
ad praedicationem synonymicam praedicamentalem, non etiam
extrapraedicamentalem, multo minus ad praedicationem synony-
micam ut sic, quae a praedicamentali & extrapraedicamentali ope
mentis

mentis præscindit. Quare non minus prædicatio synonymica erit, cum dico: *Deus est spiritus, Deus est independens, cæcitas est privatio, purgatorium est figmentum, non visio est negatio* &c. quàm si dico: *homo est animal, Petrus est homo, Paulus est rationalis*, quia ibi prædicatum æquè essentialiter respicit subjectum, ac hîc, etsi ibi prædicatum nec genus, nec species nec differentia sit, cum hoc prædicationi synonymicæ saltem accidat, non verò ad formalem rationem synonymorum pertineat, ad quam sufficit essentialis habitudo subjecti & prædicati. Evidentissimè ergò ex hisce conspicitur, non magis hanc Adversariorum collectionem procedere, quàm si ita argumentari vellem: *Si motus astrorum non potest mensurari modio vel cantharo, sequitur eum planè non posse mensurari*, aut quo exemplo jam suprâ sum usus, si quis ita colligeret: *Si lac non possumus mensurare ulna, sequitur, id nec mensurari posse alio mensura genere* & planè non esse mensurabile. Sed verum est prius. E. & posterius. Quis verò cui vel mica salis est, ἀσυλλογισίαν harum collectionum non advertit?

§. 3. Quamvis si rectè explicetur terminus *Accidentis*, nil obftet, quò minus dicamus, Deum de homine vel contrà hominem de Deo in prædicationibus personalibus ut *Accidens*, quantum prædicabile, prædicari. Dico notanter, si rectè explicetur terminus *accidentis*, Dum enim Deum τυχόντως vel per accidens personaliter de Homine prædicari dicunt Autores, non hoc volunt, quòd naturaliter seu ut naturale accidens de eo prædicetur, sive quòd Deus sit qualitas quædam accidentalis, aut saltè accidens physicū, vel etiam aliquid ad modum accidentis prædicamentalis conceptum, quòd aperte impium & absurdum esset, sed quòd propter unionem personalem singulari & prorsus inusitato modo, ceu *accidens prædicabile* Deus de Homine dicatur. Scilicet *Accidens* dupliciter apud Logicos sumitur, vel τεχνολογικῶς & in notione secunda, quòd vocant *accidens prædicabile*, estque neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium: vel πραγµατικῶς & in notione prima, quòd vocant *accidens prædicamentale*, hoc est illud, quòd ἀντιδιηρηµένως opponitur substantiæ, quòdque diverso respectu vel genus est vel species, vel differentia, vel proprium & nunc σικωνύµως, nunc παρονύµως prædicatur, prout vel
cum

cum accidente inferiori vel substantia confertur, cum contra accidens predicabile non nisi *παρονόμως* predicetur, eò quòd importet aliquid extra rationem subjecti. Nunc cum Deus *τυχόντως* & per accidens personaliter de Homine predicari à quibusdã dicitur, ultrò liquet, non sermonem illis esse de Accidente *Prædicamentali*, sed *Prædicabili*, quippe quod ratione attributionis & modi predicandi ita dicitur, sive in se sit substantia sive accidens. Præclara sunt, quæ in materia non dissimili *Gravverus* in Abs. Calvin. cap. 1. p. 81. habet, cum inquit: Nam etiamsi corpus Christi non sit *accidens prædicamentale*, quam unam significationem Calviniani duntaxat nosse videntur, nec subjectivè inhæreat pani eucharistico, tamen propter unionem Sacramentalem, non naturalem, est quasi *accidens prædicabile*, quod *τυχόντως* de pane Eucharistico predicatur: ideoque accidens dicitur non ratione inhærentionis; sed attributionis & unionis Sacramentalis, quia non per se, sed quasi per accidens Sacramentaliter unitur pani & de eodem predicatur. Huic calculum quoque suum adjiciunt *Hornejus* Disp. Log. 2. §. 24. p. m. 25. *Eislerus* in Frontispicio Log. pag. 189. Dn. D. *Calovius* in Met. Div. p. m. 157. aliique plures. Observandum autem insuper hic est, quòd hæctenus dicta de τῷ εἶναι valeat, non de τῷ λέγεσθαι, quòd ita dici possit, non quòd ita dici debeat. Nam cum facillè termini isti in sensum heterodoxum rapi possint, cautione opus est & dextra explicatione, ne ubivis promiscue adhibeantur præsertim citra declarationem, uti rectissimè monet Magnificus Dn. D. *Calovius* in Exegem. Aug. Conf. art. 3 cap. 4. th. 20.

§. 4. Neque plus roboris inest illi adversariorum argumento, quòd 2. à *disparatis extremis* desumunt, cum inquirunt, omnem prædicationem propriam & usitatam esse terminorum consentientium. Fundamentum enim affirmationis esse consensionem, disparata verò planè esse dissentanea, ideoq; Logicam illa negando, non affirmando disponenda esse docere. Argumentum eorum in forma tale est: *Ubicunq; predicantur de se termini verè disparati, ibi nexus terminorum planè est inusitatus & ab omni proprio predicandi modo alienissimus. At verò in propositionibus personalibus predicantur de se termini verè disparati, Deus nempe & homo. Ergò nexus terminorum in prædicationibus Personalibus planè inusitatus &*
ab

ab omni proprio predicandi modo est alienissimus. Minorem probant. Hinc enim, dicunt, ab omnibus Orthodoxis prædicationes personales vocantur prædicationes disparatorum & masculè pugnatur contra Calvinianos, extrema in illis disparata esse negantes. Quamvis enim convenient ratione *ὑπὸς ἀσείως* Deus & homo, differunt tamen & verè disparata semper manent ratione *φύσεως*.

§. 5. Verum enim verò facilis est responsio ad hoc quoque Adversariorum argumentum. Etsi enim verissimum sit, omnem prædicationem esse terminorum consentientium, eò quòd, ut superiori Disputatione ex B. *Slevagia* ostensum fuit, veritas cujusvis prædicationis consistat in identitate prædicati cum subjecto: etsi quoque concedatur à nobis, Disparata esse terminos dissentaneos, cum subtiliores Logici testentur, terminum simplicem primam mentis operationem seu simplicium apprehensionem ad veritatem repræsentationis meliùs percipiendam dirigere vel per se vel per accidens & terminum per se dirigentem simplicium apprehensionem esse vel complexum vel incomplexum; hunc verò esse vel consentaneum vel dissentaneum, ita quidem, ut termini consentanei sint synonyma & paronyma; dissentanei verò & quidem primarii sint Disparata & Opposita, secundarii autem *ἢ* Prius, Simul, Motus & Habere, etsi, inquam, hæc sint verissima, rectissimè tamen negatur *major propositio* in allato argumento, quòd nexus terminorum disparatorum planè sit inusitatus. Falsum scilicet est, disparata de se ordinariè prædicari non posse. Quia enim Disparata fatentibus omnibus, conjungi possunt in uno subjecto, ratione illius subjecti prædicari sanè de se invicem poterunt, cum quæcunque sunt eadem uni tertio, sint etiam eadem inter se. Posse verò disparata de se mutuò etiam usitatè prædicari, infinitis ferè exemplis doceri potest, è quibus brevitati studens vel unicum afferam. *Theologiam & Philosophiam* disparatos habitus esse, quis nisi rerum omnium ignarus nescit? Quanto enim intervallo à se invicem distant duæ diversæ species substantiarum, tanto etiam intervallo distant duæ diversæ species accidentium. At verò, quando eidem individuo accidunt ac in eo consociantur & accidentaliter conjunguntur atque ita quodammodo unum fiunt, nonne de se invicem prædicantur? Sanè tum in concreto de se prædicantur, ut dicere liceat, *Theologus est Philosophus*.

§. 6. Nec

§. 6. Nec juvat eos excipere & dicere, etsi omnino conce-
 datur, duas diversas accidentium species esse disparata & ita duo
 disparata accidentia de se in concreto prædicari posse, verum ta-
 men etiam num manebit, quod præcipue intendebatur, unam sub-
 stantiarum disparatarum de altera affirmari non posse & consequen-
 ter nexum terminorum illorum planè inusitatum & ab omni pro-
 prio prædicandi modo alienissimum esse, quando duæ substantiæ
 verè disparatæ de se affirmativè enunciantur. Utut enim duæ di-
 versæ accidentium species sæpius jungantur in uno eodemque
 subjecto, duæ autem diversæ substantiarum species *subjectivè* non
 jungantur in uno subjecto, uniuntur tamen vel uniri saltem pos-
 sunt alio modo, quatenus nempe junguntur & uniuntur vel in
 uno composito, ut anima & corpus, vel in una hypostasi, ut ferrum
 & ignis, Divina & Humana natura, quod ad prædicationem paro-
 nymicam seu denominativam sufficit. Rariora equidem & paucio-
 ra occurrunt exempla ejusmodi conjunctionis in disparatis specie-
 bus substantiarum, non tamen propterea sunt planè nulla. Non mi-
 nus ergò duæ diversæ substantiarum species, in uno supposito cen-
 currentes, de se in concreto ordinario modo prædicari possunt, quàm
 duæ diversæ accidentium species in uno subjecto convenientes, & uti
 rectè dico: *Theologus est Philosophus*, vel *album est dulce*, ita verè in
 concreto dico, *ferrum est ignitum*, *aqua est salsa*, *corpus est ani-*
matum. Ut adeò ex hisce exemplis luce meridiana clarius pate-
 scat, illam majorem propositionem, *ubicunque prædicantur de se ter-*
mini verè disparati, ibi nexus terminorum est planè inusitatus & ab omnino
proprio prædicandi modo alienissimus, in allato adversariorum argu-
 mento fallere, sive eam de disparatis accidentibus sive de disparatis
 substantiis intelligas, & graviter proinde eos hallucinari, qui ne-
 gant, ex universo naturæ circo exemplum proferri posse, in quo sub-
 stantia disparata de alia verè disparata prædicetur ordinariè, sive in
 abstracto sive in concreto, cum communis Logicorum regula sit, Dis-
 parata negativam dispositionem requirere & nullam affirmativam
 admittere, eò quòd utrobique illa dissentiant.

§. 7. Equidem contrariæ sententiæ Patroni vim hujus argu-
 menti nostri elusuri, negant in hac prædicatione: *corpus est animæ*

B

148

quam substantiam disparatam prædicari de alia. Quisvis enim, inquit, vulgò & exotericè nominetur enunciatio partis disparatæ de disparata, talis tamen nequaquam est, si accurate consideratur. Ut enim hic non disceptemus, an corpus & anima verè sint disparata, vel hoc tantùm perpendi volumus, quòd de corpore non prædicetur anima, sed animatio. Distinctæ ergò sunt prædicationes: *Homo est Deitas. Homo est Deus, Homo est Deificatus.* Primam non admittimus, tertiam paronymicam, sed secundam inusitatam dicimus. Non enim homo dicitur tantùm Deificatus, sicut corpus animatum, quæ prædicationes usitatæ sunt, sed homo etiam dicitur Deus, cum corpus non dicatur anima. Quamdiu igitur stat thesis Theologica: prædicari *græcis* disparatas & quidem non in concreto paronymico, sicut dicitur corpus est animatum, sed in abstracto paronymico, ac si diceretur, corpus est anima, tamdiu firma quoque & inconcessa erit nostra sententia, prædicationes istas nullatenus esse proprias, regulares aut ordinarias.

§. 8. Sed revera incidunt in Scyllam, qui voluerunt vitare Charybdin. Quot enim verba hinc habentur, tot ferè occurrunt absurda. Absurdum certè est, animam & corpus disparata esse negare, cum ipsis conveniat definitio disparatorum: absurdum est statuere, in hac prædicatione, *corpus est animatum*, de corpore non prædicari animam, sed animationem. Uti enim de ferro in concreto rectè prædicatur ignis & ferrum rectè dicitur ignitum, quamprimum hic cum ferro unitur & omnes partes ferri intimè pervadit, illique propria sua communicat, cum unionem veram & realem insequatur communicatio, hanc verò prædicatio: ita anima rectè in concreto dicitur de corpore & corpus animatum vocatur, quamprimum anima unitur corpori & huic propria sua, vitam, sensus, motum & alia communicat. Quæcunq; enim uni & eidem ad numerum conveniunt & prædicantur de ipso, eadem de se etiam vicissim quodammodo prædicantur. Concedimus quidem, *animatum* etiam denotare animationem, tanquam consequens, vel effectum potius animæ, & ita non esse prædicationem disparatorum, cum corpus dicitur animatum; falsum autem est, quòd animatum, de corpore prædicatum, animationem tantùm denotet, quodque non ipsa etiam anima in concreto de corpore prædicetur. Ludunt enim Authores illi homonymia vocabuli *animati*, quod vel notat *animatum* habens animam præ-

scin-

sciendo animationem, vel notat actum secundum animam five ad
 ctuationem & informationem corporis vel uno verbo animationem.
 Ut adeo utrumque verum sit & predicari substantiam disparatam de
 alia in hac predicatione, *corpus est animatum* & non predicari sub-
 stantiam disparatam de alia. Predicatur nempe disparatum de dispa-
 rato, si C animatum idem sit, quod habens animam, vel präditū a-
 nima; quod si verò C animatum actuationem ūve informationem
 corporis denotet, tunc non inviti largimur, non esse predicationem
 partis disparatæ de disparata. Et evidenter hoc constat exemplo hu-
 jus propositionis, *ferrum est ignitum*, eadem enim utriusque ratio
 est. Sicut ergo negari nequit, predicari substantiam disparatam de
 alia, *ignem de ferro*, si per C ignitum intelligas subjectum ignis, vel
 H habens ignem, aut präditum igne, ut sensus hujus propositionis:
ferrum est ignitum, sit, *ferrum adunitum sibi habet ignem*, aut *ignis*
est in ferro, sive *substantia ferri est substantia ignis*, licet non sit
 predicationis disparatorum, quando C ignitum denotat ignitionem,
 ita in altero exemplo, *corpus est animatum*, idem est judicandū. Ab-
 surda denique, ut ex hactenus dictis apparet, est illa quoque colle-
 ctio: *ubi predicantur verba disparata in abstracto paronymico, ibi predi-*
catio nullatenus est propria, usitata aut regularis, quam frustra Theolo-
 gicam jaectant, cum cordatiores Theologi nunquam stramineam is-
 tam sequelam admiserint. Etsi enim dicere nequeam, *corpus est a-*
nima, uti dico, *Deus est homo*, non tamen hinc sequitur, hanc propo-
 sitionem, *Deus est homo*, esse predicationem inusitatam, ac per con-
 sequens nec synonymicam nec paronymicam, quia Logico sufficit,
 präditū ibi esse extra essentiam subjecti, sive jã sit concretū parony-
 micū, sive abstractū paronymicū, hoc est, sive sit terminus substantivus
 sive adjectivus. Imò falsum est, hominē predicari de Deo in abstracto
 secundū ipsos Theologos, è quibus instar omnium esse potest Magny no-
 ster *Calovius*, qui in *Metaph. sua Div. part. gen. cap. 24.* ad exceptionē,
 inquit, quod λόγος dicatur homo, non humanus, respondeo, præ-
 dicationem illam, λόγος est homo, abstractivam quidem esse quo-
 ad sonum, non tamen quoad sensum. Sanè effertur hic substanti-
 vum de substantivo in casu recto, verum si attendatur prædicatio-
 nis ratio & resolutio, dici aliter nequit, quàm quòd prædicatio fiat
 in concreto. *Analysis enim aliter institui non potest, quàm prout*

Dn. D. Mylius docet hoc pacto: λόγος est personaliter idem, qui est homo. Unde liquet, fieri prædicationem non in abstracto, sed concreto. Non minus proinde prædicatione concreta est, cum dico, Deus est homo, quam quando dico, corpus est animatum, licet ibi prædicatum sit nomen substantivum, hic verò adjectivum, cum termini concretivi sint in duplici differentia, ita ut alii sint substantivi, alii adjectivi, illi concreta substantiva vulgò dicuntur, hi verò adjectiva. Ut enim dicere in abstracto nequeo: corpus est anima, ita nec dicere licet, Deus est humanitas, vel divina natura est humana natura, sed in concreto dicendum est, Deus est homo, sicut in concreto rectè dico: corpus est animatum. Rationem autem diversitatis, cur non dicere liceat, corpus est anima, sicut dico, Deus est homo, eleganter Græverus loco sapiùs citato his verbis exponit: in specie a. ad exemplum de anima & corpore objectum, respondeo, hanc esse diversitatis rationem, quòd anima & corpus uniuntur tanquam partes essentielles unius hominis ad constituendam unam essentiam compositam, seu tanquam partes constitutivæ, quarum non est prædicari de toto, nec per consequens de se invicem. Non sic uniuntur divina & humana natura. Deinde corpus & anima significant partes constitutivas in abstractione: Deus autem & homo non significant in abstractione partes constitutivas. Quapropter non est mirum, si denominativa prædicatione, etiam quoad terminationem Grammaticam hic non sit ἀπλῶς & in specie eadem.

§. 9. Sed & alia ipsis sunt arma, quibus sententiam nostram debellare conantur, ut cum 3. à questione, in quam fit prædicatione, argumentantur: Omnis prædicatione accidentalis fit in Quale. Prædicationes Personales nō sunt in Quale. B. Prædicationes Personales non sunt accidentales vel paronymice. Minorē probant. Accidentalis enim prædicatione, inquit, fit ἐν τῷ ὁπωδιόν ἔστι, vel in quale, si potissimum de unitis substantiis sermo sit. Non enim designat ἑδῆτι, hoc est, essentiam vel personam, sed ἑδῆ ἐν τῷδε fatentibus adversariis. Et prædicata paronymice non dicuntur illud ipsum esse, cui adsunt, vel insunt, cum nihil ita alteri adjungatur ut sit ipsum, cui adjungitur, nec vicissim. At verò prædicationes personales non in quale, sed in quid fiunt & prædicata illarum dicuntur id ipsum esse, cui adjunguntur. Non enim quærebat Christus, qualem, sed quem me dicunt

dicunt esse homines? & respondebat Petrus: Tu es filius Dei vivi. Cùm igitur accidentalis prædicationis, quæ unitæ substantiæ prædicantur, ex adversariorum concessione, nota & proprietates essentialis sit quæstio in quæle, & verò hæc locum nullum habeat in prædicationibus personalibus, rursus invictè concluditur, accidentales non esse. De quo enim negantur propria essentialia, de illo etiam ordinariè negandum est proprium subjectum.

§. 10. Nihil autem facilius nobis est, quàm invalidum hoc adversariorum telum excipere. Committi enim fallaciam amphiboliæ in hoc argumento, vel Davus videre potest, cùm integra phrasis in eo diversam habeat significationem, adeoquæ subint quatuor termini. Quod ut pateat, sciendum est, 1^o in Quæle fieri, ambigvè dici. Vel enim in Quæle prædicari idem est, quod termino adjectivo prædicari, & sic falsissimum est, omnem prædicationem accidentalem fieri in Quæle, cùm enim Rex prædicatur de homine, in Quæle de eo dicitur & tamen est terminus substantivus, sicut contra 2^o in Quid prædicari, non est idem, quod termino substantivo prædicari, quia 3^o rationale prædicatur de homine in Quid & tamen non est terminus substantivus sed adjectivus; vel 4^o in Quæle prædicari idem est, quod paronymicè, in concreto & extraessentialiter prædicari, sive jam fiat termino substantivo sive adjectivo, sicut 5^o in Quid prædicari idem est, quod essentialiter, definitivè & in abstracto prædicari, quocunquæ modo vocabulum illud sese habeat. Hisce ita explicatis, jam ultrò constat, verum esse quod dixi, quòd nempe adversarii in allato argumento fallaciam amphiboliæ committant. In Majore enim 6^o in Quæle prædicari idem est, quod extraessentialiter & paronymicè prædicari, quia aliàs, si priori ea sensu exponeretur, falsissima evaderet; in minore verò 7^o in Quæle prædicari idem est, quod termino adjectivo prædicari, cùm aliter explicata minor falsa existat. Unde mirum non est, falsum ex illis præmissis fluere conclusionem.

§. 11. Ad probationē dico, verū equidem esse, quòd omnis accidentalis prædicatio fiat in Quæle, cùm in hoc contradistingvatur essentiali, quodquæ paronymica prædicata non dicantur illud ipsum esse, cui adsunt vel insunt, quod enim est eum alio, seu in alio, vel sub alio, etiam arctissima unitione conjunctum, non potest propriè dici id ipsum esse, cum quo est conjunctum.

pus hypostaticè juncta sint, nemo tamen propterea aut corpus animam, aut animam corpus esse dixerit; interim falsissimum est, quòd *predicationes personales* non fiant in *Quale* sed in *Quid*, quòdque prædicata illarum dicantur id ipsum esse, cui adjunguntur. Quod enim primum attinet, id falsum esse, etiam ii norunt, qui nondum ære lavantur, quia aliàs hoc absurdum inde sequeretur, prædicatum in enunciationibus personalibus vel esse de essentia, vel ipsam essentiam subjecti, cum tamen nec Deus sit pars essentialis hominis, nec homo sit pars essentialis Dei. Alterius autem asserti falsitas etiam facilè patet. Communi enim ore orthodoxi Theologi hæcenus docuerunt, unionem illam personalem duarum naturarum in Christo *ἕνωσιν ὑπόστασιν* factam esse sine omni confusione & mixtione, sine mutua conversione & abolitione & verbo ita, ut essentialè discriminè utriusque naturæ etiam in statu unionis manserit. Propria quidem divinæ naturæ communicata sunt à λόγῳ humanæ naturæ, non tamè essentialiter facta sunt propria humanæ naturæ, sed eidem tantum conveniunt per gratiam unionis, adeoq; *ἁποτέρας*, sicut anima communicat equidem corpori proprietates suas, non tamen ita, ut fiant proprietates ipsius corporis; sed manent propria animæ, eique *ὑποτέρας* conveniunt, corpori verò saltem *ἁποτέρας*, per & propter animam. Ut proinde Deus dicatur homo, vel homo Deus, non quasi per unionem personalem humana natura facta sit divina natura & hæc mutata sit in humanam naturam, sed quia, ut B. Gerbardus in Exeget. Loc. 4. c. 9. th. 168. accuratè hoc exponit, hypostasis utriusque naturæ communis arctissimè eas uniat. Ideò enim etiam in concreto, hoc est ratione & respectu illius hypostaseos de se invicem prædicantur, quia genuinus sensus illarum propositionum hic est, quòd utriusque naturæ, divinæ & humanæ, in Christo sit una communis hypostasis, quæ arctissimè & insolubiliter uniantur. Unde clarissimè patet, etiam *predicationes personales* fieri *ἐν τῷ ὁποίῳ ἔστι* & designare non *τὸ ἔστι*, sed *τὸ ἐν τῷ ἔστι*, quia veritas illarum sola identitate illius nititur, quod termini significant in recto, licèt formæ, quas in obliquo connotant, diversissimæ sint, sive quia hypostasis, in qua duæ illæ naturæ conveniunt, una eademque est. Neque enim causa, cur una natura prædicetur de altera, potest assignari alia, quàm unio earum

earum in eadem hypostasi, ratione cuius quoque de se invicem dicuntur, terminis scil. concretivis, qui hypostasin, in qua uniuntur, primario & in recto significant.

§. 12. Tandem in reciprocatione praesidium quaerunt & ita contra nos argumentantur: *Prædicationes accidentales, praesertim de substantiis unitis factae, manentibus iisdem verbis & eodem verborum sensu, nunquam sunt reciprocae. Atqui prædicationes personales manentibus iisdem verbis, eodemque verborum sensu, verisimè recipiuntur. E. prædicationes personales è classe paronymicarum vel accidentalium prædicationum sunt eximendae?* Minorem patere dicunt, cum Deus dicatur esse homo & contra homo dicatur esse Deus, neque vox hominis aliam significationem hinc acquirat, quam ibi habuerit, sed utrobique eandem retineat. *Majorem probant, quia enim, inquit, prædicationes accidentales dicuntur ἡ ἐστὶν ἄνθρωπος, talis certe permutatio institui nequit, ut unum idemque rei itidem uni eidemque jam adjungatur, jam subiciatur. Ita dicitur quidem homo est doctus, sed non contra doctus est homo, licet dici possit, quoddam doctum est homo. Sic dicimus, materia est informata, verum non retrò, informata est materia, sed quoddam informatum est materia; ita verò statim mutatur verborum sensus. Cum enim materia informata dicitur, vox informata concretum paronymicum est & notat accidens prædicabile; quando autem dicitur, quoddam informatum est materia, cum vox informatum substantiam notat, non accidens prædicabile.*

§. 13. Resp. confundi conditiones prædicationis accidentalis materiales cum formalibus. Reciprocatio illa vel non reciprocatio est conditio prædicationis paronymicæ saltem materialis, non formalis. Sicut ergò nemo admittit hanc sequelam: Generatio est mutatio à non esse ad esse. Generatio æterna filii Dei non est mutatio à non esse ad esse. E. generatio æterna filii Dei non est veri nominis generatio; ita quoque non procedit illa adversariorum collectio. Quòd verò reciprocatio illa non pertineat ad formalem conditionem prædicationis paronymicæ, sed materialis saltem conditio sit, locum in veniens in uno vel altero exemplo, non in omnibus, testem hujus produco Gravverum qui cap. 1. abs. Calvin. ita philosophatur: Ex quibus apparet, non necessum esse, ut omnes propositiones denominativæ sint reciprocae, licet quaedam sint reciprocae, ut cum dico,

dico,

dico, omnis homo est docilis & omne docile est homo, quoddam corporeum est animatum & quoddam animatum est corporeum. Unde patet, collectionem hanc impingere in leges de consequentia syllogistica & in specie contra illum secundæ figuræ Canonem peccare, qui vult, ut major in secunda figura semper sit universalis.

§. 14. Sed ferme præterieram: unum adhuc obijciunt, ab *unionis & prædicationis habitudine*, delictum, ita argumentantes: *Qualis est unio, talis est prædicatio. Sed unio duarum naturarum in Christo facta non est accidentalis. Ergo neque prædicationes ex illa unione resultantes sunt accidentales.* Utraque autem præmissarum falsitate laborat, adeoque neganda est. Quod enim *Majorem* attinet, eam fallere, vel ex unico hoc exemplo constat. Cum dico, *corpus est animatum*, prædicationem paronymicam habeo, quia prædicatum non pertinet ad essentiam subiecti, & tamen unio inter animam & corpus non accidentalis, sed essentialis est. Clarè ergò hinc perspicitur, quædam accidentaliter prædicari, quæ tamen non unita sint accidentaliter & ita non semper talem esse prædicationem, qualis sit unio. Sed & *minor* rectè à nobis negatur. Quamvis enim *personalis* in specie & talis sit illa unio arctissima, cui similis in tota rerum natura non occurrit, in genere tamen, etiam secundum ipsos Theologos, rectè *accidentaliter* dicitur. Audiendus hic denuo *Gravverus* est, qui cap. 1. abs. Calvin. p. 82. in materia simili ita differit: Corpus Christi quasi per accidens sacramentaliter unitur pani & de eodem prædicatur. Dū quasi per accidens uniri dico, non excludo, sed includo unionem sacramentalem tanquam speciem. Est autem talis species, cujus exemplum in natura non invenitur, atque hoc respectu rectè dicitur inusitata, quamvis negari non possit, in genere rectè accidentalem conjunctionem appellari. Omnium autem clarissime mentem suam exponit p. 25. dum inquit: Homo de Deo contingenter per accidens prædicatur; Unio autem in Christo non est accidentaliter, quasi Christus sic unum per accidens *ἄπλως* seu unum accidentaliter, sed est unum personale: ratione igitur termini ad quem, nego humanam naturam filio Dei per accidens seu accidentaliter unitam esse.

§. 15. Atque hæc sunt, quæ de nobilissima hac doctrina, de paronymia in Prædicationibus Personalibus occurrente, breviter & ruditer proponere constituimus. Faxit Deus. Homo Jesus Christus, ut & hoc studium nostrum cedat in sacrosancti nominis sui gloriam, Ecclesiæ emolumentum & pietatis incrementum, Amen.



Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515








21

A.
demicarum,

ionum

ronymia,
mam,
n Academia

DE
HENRICO

ali Alumno ,
es
/ Jütreboc. Saxo,
s antemerid.
DC. LXXIII.

Æ ,
HANNIS HAKEN.

